

dirigi & prosperari coram Deo, quæ prosperitas & spiritualis est, & sempiterna, ac propria electorum, seminis seruorum, Dei, qua Deum habent propitium & patrem omnium clementissimum, in fide, spe ac charitate crescunt ac ditescunt: idq; in medijs tribulationibus, dum filij huius seculi pace & opibus modico temporis momento abundant, & in miseriam ac infelicitatem sempiternam desinunt.

PSALMVS CIII.

PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Celebrat hoc Psalmo Propheta insignem bonitatem Dei, præclaris cum erga se, tum erga populum Israël beneficijs declaratam. Sunt autem tres illius partes. Prima, vers. 1. & 2. animam suam ad benedicendum Domino excitat. Altera, à vers. 3. vsq; ad 19. beneficia Dei, & sibi priuatim, & Israël communitè præstita recenset. Tertia, à versu 19. ad finem vsq; Psalms, regnum Dei celebrat: & ad benedicendum illi, & angelos, & potentes, & exercitus, & ministros, & omnia opera eius, postremò rursus & animam suam hortatur.

PRIMA PSALMI PARS.

VERS. I.

B

Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius.

2. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnium beneficiorum eius.

LECTIO.

Vers. 1.

Vers. 2.

Et omnia interiora mea.] Ebr. וכל קרבי: id est, Et quicquid intra me est, quicquid in medio mei est. Hieron. Et omnia viscera mea.

Et noli obliuisci omnium beneficiorum eius.] Ebr. ואל תשכחני בכל גמולי. Græc. μὴ σὺ μὴ ἀναπολόγησαι αὐτῷ. Vulg. Lat. Omnes retributiones eius. Hieron. Omnium retributionum eius. Campen. Illa tam varia, quæ in te consulit, beneficia. Tigurina versio: Omnia quæ in te consulit. Felinus: Omnia beneficia eius. Verbum בְּרַכָּהּ significat quidem aliquando retribuere: verum nonnullis locis ponitur pro conferre & impendere aliquid. Germanicè, Beweisen/erzeigen/widerfahren lassen. Vide supra Psal. 18. vers. 21. Quapropter malui hoc loco reddere: Noli obliuisci omnium beneficiorum eius: quàm, Omnium retributionum eius. quam versionem argumentum Psalms ferre non potest.

EXPLANATIO.

Vers. 1. & 2.

Verbum benedicendi in Scripturis trifariam accipitur. Cum Deo datur, significat prosperitatem & successum largiri. Cum datur hominibus, significat vel saluare, & bene precari: vel laudare, ac bona de quopiam predicare.

OBSER.

Vers. 1.

Duobus hisce versibus Propheta duo agit. Primum adhortatur animam suam: id est, seipsum, vt Domino benedicat. Est autem benedicere Domino, idem quod laudibus eum extollere, præclara de illo prædicare. Adhortationem hanc ingeminat, bis dicens: Benedic anima mea Domino: vt exuberantiâ affectus huius exprimat. Et vt illud quod dixit: Benedic anima mea Domino, explicet, addit: Et omnia interiora mea: intelligens de corde suo, animo, spiritu, ac cunctis intimis affectibus. Deinde versu 2. veluti rationem reddit, quare animam suam hortetur, vt Domino benedicat: Noli obliuisci, inquit, omnium beneficiorum eius. Habet hæc particula rationem, communi quoq; sensu omnium æquissimâ, à debito gratitudinis sumptam. Etenim cui benefactum est, laudem & gratiarum actionem utiq; debet ei, cuius est beneuolentia potitus. Non simpliciter autem dicit, Noli obliuisci beneficiorum eius: sed, Noli obliuisci omnium beneficiorum eius: vt multitudinem beneficiorum Dei in memoriam reuocet. Q. d. Innumeris beneficijs, ô anima mea, cumulata es à Domino: quapropter hoc benefactori Domino debes, vt memor sis beneficiorum eius, illa ex intimis affectibus, ac toto corde de prædices, & nomen eius sanctum extollas.

Benedic anima mea Domino.] Primum illud obseruandum est, quòd animam suam hortatur ad benedicendum Domino. Affectum benedicendi Domino præcedit, vel sensus præsentium, vel intima recordatio præteritorum beneficiorum Dei. Etenim prius est, bene sentire de Deo, quàm illi benedicere. Ergo Psalms huius exordium seria ac intima cogitatio de bonitate Dei præcessit. Deinde notandum est, quòd non benedicat Domino, priusquam animam suam ad benedicendum illi excitet. Obseruabile est hoc Prophetæ exemplum non solum laudaturis Dominum, sed & oraturis, lecturis, prædicaturis, & auditoris ea quæ Dei sunt. Incredibile est, quam vim habeat ad ea quæ agenda sunt, seriò & efficaciter agendum, ista animarum, mentium, ac spiritus excitatio, siue id ipsi faciamus, siue aliunde excitemur. Huc faciebat Prophetæ isti vsus instrumentorum musicorum: & ob hanc causam Elizæus psalten postulabat, cuius cantu spiritus ipsius excitaretur, 2. Regum 3. Tertiò & illud obseruandum est, quòd ad benedicendum Domino seipsum prius excitat, quàm alios: de quibus in fine Psalms videbimus. Admonemur hoc exemplo, vt qui alios ad laudem Dei, ad studium pietatis, &c. excitamus, ad ea nos ipsos prius excitemus, quàm alios.

Et omnia interiora mea.] 1. Expendendum hîc est, quid ad hoc requiratur, vt Domino benedicamus. Laus Dei labijs externis non perficitur, sed interiora hominis requirit. Notum est illud: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Rectè ergo Augustinus: Non vox, sed votum, &c.

2. Obserua verò, quòd non simpliciter dicit, *Et interiora mea*: sed, *Et omnia interiora mea*. Ergo integer omnium interiorum nostrorum concentus ad benedicendum Domino requiritur. Nihil hic relinquitur, quod aliorum euagetur. Non datur locus vlli cogitationi, quæ ad laudem Dei non faciat. Reijcitur non solum cordis & oris, sed & ipsius cordis, & omnium interiorum affectuum diuisio. *Nomini sancto eius.*] 1. Obseruemus hîc primum, quid sit benedicere Domino. Est nomini eius benedicere: